



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

II. De eodem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

ANNO  
CHRISTI  
1179.

super quaestionibus suis coram vobis respondere, & vos vicissim postmodum rationes & allegationes partis vtriusque diligentius audiat, & cum concordia vel iudicio terminetis.

CAP. II. *Idem decano & clericis Maturiensibus.*

Miramur plurimum & mouemur, quod cum causam qua inter vos & dilectos fratres abbatem & fratres Maturiensis monasterii vertitur, dilectis filiis nostris archidiacono V Volterano & abbati de Spongia commissemus sine debito terminandam, & abbas & fratres parati essent iudicium illorum subire, si vos eis super quaestionibus, quas aduersus vos proponunt, deberetis respondere in continenti, sicut iidem iudices nobis literis suis intimauerunt, id efficere noluitis. Vnde quia rationis ordo hoc exigit, vt si quis sibi vult ab aliquo iustitiam exhiberi, ei non debet quod iustum est denegare, fraternitatem vestram &c. quatenus accusatione ipsa, quam aduersus praedictos abbatem & fratres intenditis, proposita, & responsione facta eidem abbati & fratribus coram praedictis iudicibus in continenti respondeatis: vt causa vestra & ipsorum vicissim postmodum audiri debeat & terminari. Nos enim eisdem iudicibus dedimus in mandatis, vt vos ad id faciendum instanter moneant, & auctoritate nostra districte compellant.

DE EO QVI CONSANGVINEAM PAR. XII.

VXORIS SVÆ, VEL SPONSAM PATRIS SVI,  
vel consanguineam sponsæ propriæ cognouit.

CAP. I.

*Idem Vuirgorniensis episcopo.*

SI quis parochianorum tuorum matrem forte vel sororem, vel filiam vxoris suæ carnaliter cognouerit, & hoc publicum & manifestum fuerit, ab ea penitus est separandus, & vterque illorum, scilicet tam mœchus quam mœcha, debet sine spe coniugii perpetuo permanere. Si autem hoc secretum & occultum fuerit, pœnitentiam de commisso debet accipere, & vxori suæ infra tempus pœ-

27. Quest.  
2. Qui dor  
mit.